



1752.

30. Richterus, Dr. Tabius : Selectio juris principia
ria ad leg. lib. XV.
31. Richterus, Dr. Tabius : De sumbris studiorum
ad pecuniam quae vestimenta non pertinere
libus.
32. Richterus, Dr. Tabius : De testamento & iudice
incapacitate in territorio alieno condito,
invalido
33. Richterus, Dr. Tabius : De effectu pacti sine
donis concus inihi quo simul investitias
in liberam, iaper vivos et mortis causa, de
fauulo dispositionem . . . consentit.
34. Richterus, Dr. Tabius : Selectio juris principia
ad leg. I. XVII. Dsp. 19.
35. Richterus, Dr. Tabius : Selectio juris principia
ad lib. XIV. Dsp. 21.



1752.

36. Richterius, Iu. Talius : Selectionia iuriis principia
et dog. lib. XIII. Disp. 20.

37. Rinius, Iohannes Forum, fac. iur. procurat.
Larius : Programma, quo solemnia doctoralia
Christiani Henrici Breunigii indicat.

38. Rinius, Iohannes Forum : De cractione legati
pro causa sub modo relictio.

39. Rinius, Iohannes Forum : N. p. in testamento
parentum privilegio non entero sando

40. Romanus, Franciscus Guntzelius, fac. iur. procur.
cellarius : Programma, quo solemnia inaugu-
ratio Corbi Guntzelius Malleri indicatur.

41. Liegel, Iohannes Gottschid : de jure superficiario
reali quidem, et locutionum abile vero haud
frakendo. Programma, quo ad rationem

spia aus præcallens iuris stat.

42. Sigel, Th. Gmelin: De legitima ex parte
petenda.

43. Stiglitz, Carolus Ludovicus: De fideicommissis fa-
miliis ab ipsi, quorum inter se, sublati

ati 44 Tihus, Th. Daniel: Zommissum bimaris theori-
uosa, argumentis Et. Euleri superstructa.

45. Wagnerus, Ritter: De Distinctione territoriorum
imperii in clausa, et non clausa. Disputatio
posterior juris publici.

46. Wagnerus, Ritter: De Distinctione territorio-
rum imperii in clausa et non clausa.
resp. prior. hist.

47. Wicklerus, Christianus Fridolinus: De genio
præside uniusque propriis.

1752.

48. Wiesenhauer, Iustus Cœlius: De ecclesia
et personis ecclesiasticis in genere.

49. Zoller, Fridericus Gallus: Res sententia Utriusque
1652 ff, quae in fraudem creditorum:
ejusque iure Saxonico facta correctione
Programma, quo orationem ad hanc indicat.

50. Zoller, Fridericus Gallus: De renuntiacione
hereditatis a filia iurato facta, ob enormem
laenionem rescindenda.

10193

1752, 31.

2

EXERCITATIO ACADEMICA
DE
SVMTIBVS STVDIORVM
A D
PECVLIVM QVASI CASTRENSE
NON PERTINENTIBVS

QVAM
AVCTORITATE
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
MODERATORE
DN. IO. TOBIA RICHTERO
PHIL. ET I. V. D. PROF. PVBL. COLL. MIN.
PRINC. COLL.
PATRONO ET PRAECEPTORE OPTIMO

AD DIEM XVI. NOVEMBR. CIOCCCLII.
IN AVDITORIO ICTORVM
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

SUBMITTIT
AVCTOR
IO. CHRISTIANVS FRIDERICVS HERTLING
ISLEBIA-SAXO
N O T. P V B L.

LIPSIAE
EX OFFICINA STOPFFELIANA.



EXERCITATIO ACADEMICA

CELESTIA PRAECLARIA

HEC ETIAM QVATRAGASTRON

HELVETIIS TEGULIS ORDINIS

DEO DORIA RICHTERO

LATOMI ET PRINCIPIORUM OPTIMA

MONTA VENATIONIS MONTA VENATIONIS

O CHRISTIANUS HEDERIS HERITAGE

LIOTTA TOLIA TOLIA TOLIA

ALLEGORIAZ ALLEGORIAZ ALLEGORIAZ

V I R O.
EXCELLENTISSIMO. ATQVE. AMPLISSIMO.
D O M I N O.
FRIDERICO. GOTTSCHALDTO.
DOMINO. HEREDITARIO.
IN. NEIDHARTSTHAL
EXERCITVVM.
POTENTISSIMI. REGIS. SARMATARVM.
ET. ELECTORIS. SAXONIAE.
SVB - CENTVRIONI. IN. PEDITATV.
CASTRORVMQVE. PRAEFECTO.
Q V O N D A M.
MILITVM. IVDICI. PRVDENTISSIMO.
ATQVE. CONSVLTISSIMO.

P A T R O N O. F A V T O R I.
OPTIMO. CERTISSIMO.



H A E C
STVDIORVM. IN. IVRE. CIVILL.

INCVNABVL A.

IN. VERA E. PIETATIS.

OBSEQVII. GRATIQVE. ANIMI.

ET. SI. MAVIS.

V I R. A M P L I S S I M E.

PERPETVAE. CARITATIS.

TESSERAM.

CASUALMOMA. ETAT. ECIO

CONSULTISSIMO.

D. D. D.

I. JOANNES. CHRISTIANVS. FRIDERICVS.
HERTLING.

CONSP E C T V S
DISSERTATIONIS.

C A P V T I.

- §. I. Perperam quandoque DD. singunt peculia,
sicut pecunia lustrica
II. et feudum, quod eodem referunt, satis pro-
bant.

C A P V T II.

- §. I. Argumentum Disputationis exhibetur.

C A P V T III.

- §. I. Definitio peculii quasi castrensis traditur, et con-
futatur descriptio Duarenii.
II. Definitio Heineccii et Westenbergii proponi-
tur et diluitur.

C A P V T IIII.

- §. I. Sumtus studiorum nullum peculium quasi ca-
strense efficiunt, I) quia, illis consumptis,
totum peculium deficit.
II. II) ob illorum dispositionem, plane re-
strictam.

X 3

III. III) de



III. III) ob collationem , cui subiacent, si male consumti sint,

IV. aut quando pater illam velit.

V. quoniam V) studiosus de illis testamenti factionem non habet.

VI. Deinde VI) quia ad educationem pertinent.

VII. aut VII) aes alienum sunt,

VIII. aut VIII) statim de bonis ipsius filii impenduntur.

VIII. Subiungitur Knipschild.

C A P V T V.

§. I. Dubium a collatione ortum remouetur.

II. Argumentum a dispositione sumtum eliditur,

III. Pariter ac dubitatio donatione inter patrem et filiumfamilias innitens.

C A P V T VI.

§. I. Explicatur L. vlt. pr. C. de inoff. testam.

II. Neque obstat L. i. C. de castr. pecul.

C A P V T VII.

§. I. Argumentum Iust. Henn. Bochmeri ex L. 3.
et II. n. de castr. pecul. exhibetur et tollitur.

CAPVT



C A P V T I.

I.

Quidquid filii filiaeue familias adquirunt, non sibi, sed patri adquiri, axioma est e statu Romanorum veteri, sed iam ante tempora, et temporibus ipsis IVSTINIANI imperatoris inefficax. Distinctione enim peculiorum altera post alteram, adeoque sensim pedetentim que enata, ius circa acquisitionem bonorum liberis concessum valde, et si dicendum quod res est, nimium fuit extensum. Utinam tamen ICti caeteroquin magni nominis, qui ad caput hoc scriperunt, ius istud latius adhuc extendere noluissent! Videamus illos eam re varie sentientes et in partes discedentes diuersas. Praefato est nobis et dicta probabit quam luculentissime pecunia lustrica, quae tot, quot fuerunt vñquam, adcensemetur peculiorum speciebus, iure Romano vñstatatis. SIMON A GROENEWEGEN *a)*, PAVLVS *b)*

et

a) GROENEWEGEN de LL. abrogatis ad L. 29. §. 1. de pecul.
b) VOET ad I. §. 3. de stipular. seruor. n. 2. et §. 1. I. per quas person.
cuiq. adquirit.

A

2 DE SVMTIBVS STVDIORVM AD PECVLIVM

et post patrem filius IOAN. VOET *c*), IOAN. ORTW. WESTENBERG *d*) et vel sexcenti alii illam peculium prosectorum fingunt, quod displicet aliis, qui ex rationibus haud contemnendis negatiam tutantur atque stabilunt sententiam. Hi enim, e quorum numero B. AVGUST. DE LEYSER *e*) et V. CL. FRID. HEVSINGERVM *f*) adlegasse sufficiat, pecuniam lustricam tantum adnumerandam esse aduentio ordinario, arbitrantur, quibus et nuperime calculum suum adiecit ICT. EXCELL. IOAN. TOB. RICHTERVS *g*) PRAESES mihi maxime deuenerandus, eiusdem argumenti defensor. Et sane si quid ea in re esset adfirmandum, hanc iam laudatorum magni nominis et auctoritatis ICTorum opinionem vtique rectiorum existimarem. Sed supersunt alii, qui, ad peculium aduentium extraordinarium dona nostra baptismalia referri, contendunt, de quibus vide CL. HEVSINGERVM citato loco. Tandem nonnulli, inter quos potissimum ICTVS ille, vt vocatur, RELIGIOSVS *h*) nominandus est, pecuniam lustricam ad peculium castrense propter bellum quoddam in sacro baptisme cum diabolo suscepimus pertinere, iocose fatis sibi persuadent. Praetereo illos a B. DE LEYSER *i*) recensitos, qui, quasi castrense peculium hic locum habere posse, adfirmant. Ego vero, quid vna-

quae-

c) VOET Comm. ad π. Lib. XV. Tit. I. §. 4.*d*) WESTENBERG de portione legitima liberis, parentibus et fratribus relinqua Dif. III. cap VI. §. 11.*e*) DE LEYSER Meditation. ad π. Spec. CLXVI.*f*) HEVSINGER de iure pecul. aduentio. extraord. tam Roman. quam Germ. Legib. et morib. conflitzto, cap. II. §. XII.*g*) RICHTER Select. Jur. Princ. Disp. XXII. pos. VIII.*h*) BRVNNEMAN Camini, ad π. ad L. i. de collation. n. 23.*i*) DE LEYSER cit. Spec.

quaeque dictarum opinionum valeat, aut quaenam reliquis praeferri mereatur? vt iam disquiram, tantum abest, potius vt variis hisce Doctorum altercationibus nos superfedere posse, censem. Qum enim peculium, quaecunque fingas, iuri Romano tantum debeat originem; pecunia vero lustrica eidem iuri plane incognita sit: dubitandum non esse duco, quin rem fictam propugnent pecuniam nostram, in sacro baptismo dari solitam, peculiorum speciebus adcensentes.

II.

Doctores etiam circa feudum varie et mirum in modum fluctuant, ita vt, quod hic ad omnes peculiorum species refert, adnumeret ille tantum militari, cuius autem placita displicant rursus aliis: quidquid vero his omnibus placet, mihi arridet numquam. Ut verbo dicam: vtraque, cui opponere vix est, qui audeat, doctrina fingitur Minerua plane inuita, argumentis firmatur ficalneis, vel nimio erga ius Romanum amore. Ne probatio huius rei deficiat, ponas quoaeo, filium familias intuitu militiae sagatae adquisiuisse beneficium, quod ex sententia tua peculium erit vere militare. Sed enim vero quum praeter rationem supra a me adlatam, alia adhuc e natura feudi et castrensis peculii adpareat: hoc loco rursus nil deprehendo nisi figura iuris interpretum. Constat enim satis abundeque inter omnes, de peculio castrensi liberam concessam esse actu inter viuos aequa ac mortis causa dispositionem, quam circa ipsum feudum restrictam admendum et limitatam esse moribus Longobardorum motus contendeo. Aut fingas, amabo, feodium esse vel aduentitium ordinarium vel profectitum peculium. Vtique vtendi fruendi potestate iureque plenissimo gaudet pater, nihil

A 2

que

que vſusfructus inde ad filium redundant, quod tamen habitu ad clientelam respectu nec licet nec poterit confirmari, vt iam **DN. PRAESESS** ^{k)} meus grauissimus testimonii inuictis comprobauit. Nihil dicam de lege fidelitatis, seruitorum praestatione, masculorum exclusis feminis succeſſione, reliquisque, quae vel ipsam feudi naturam et formam constituent, vel regulariter inesse solent beneficio. Ex hisce enim satis iam, puto, elucescit, feudum ad nullam peculiorum speciem esse referendum, quum semper discriminem inter feudum superſit atque peculium.

C A P V T II.

I.

Eiusdem, cuius pecunia luſtrica et feudum, conditionis etiam sumptus ſtudiorum ergo erogati, eſſe conſpiciuntur, quamuis vni ſolum peculiorum ſpeciei, quae Romae obtinebantur, adſcribantur ferme ab omnibus. In eo enim et alter censentes inter ſe conueniunt, vt, ſi a patre in ſtudia facti ſint donandi animo, eos peculii eſſe quaſi caſtreñis, fibi perſuadeant. Ego vero quim nullo hac de re adaequato, nullo que hanc doctrinam ſat probante argumento, haclenius conuictus fuerim, potius rationibus grauiffimis omnino contraria ſententiam defendere valeam: ius hocce impensis noſtris denegare non erubefco. Nec defumo rationes illas ex iure singulari nobis competente, nec mea ſententia maius rei noſtrae adfero periculum. Quis itaque in eo me culpandum putabit, niſi quod nondum debitas adulterim rationes? Proferam igitur ſtatim et defendam, quod mihi ſed det

^{k)} RICHTER *Disp. de effictu paclii ſine domini conſenſu initi, quo ſimil inuicti in liberam, inter viuos et mort. cauf. de feudo diſpoſit. etc.*
§. XII.

det quoad rubrum, partim explicatione Legum mihi aduersantium, partim argumentorum, quibus contra sentientes nituntur, confutatione, partim potissimum documentis, quae ad rem istam pertinere mihi saltim videntur; vbi tamen cum POETA:

Eft nobis voluisse satis

Faucas conatui, L. B. et condiores, in quibus ob iuuentutem ad errandum, vt ita dicam, paene destinatam hallucinatus sum; tamen

Non ego ventosae plebis suffragia venor.

C A P V T III.

I.

Peculum quasi castrense est, ex sententia quidem mea, quod intuitu militiae togatae adquisitum pleno patris familias iure ad filiumfamilias pertinet. Quam descriptionem et IVSTINIANVS imperator ¹⁾ et VLPIANVS ^{m)} luculenter satis confirmant. Quid vero *militia sit togata?* Quid verba: *pleno patris familias iure*, significant? iam sensus in vulgus est notissimus, vt, si expenderem, notionem non nisi transponerem. Addo tantum sagatae, togataeque militiae comparationem a TVLLIO nobiscum communicatam, quam ILL. GEOR. HENR. AYRER ⁿ⁾ eleganter perscripsit. Quidquid autem huius rei sit: non possum profecto, quin et hic loci obiter moneam, quod interpretes iuris vel nimis coarcent naturam peculii nostri, vel definitionem faciendo axiomata ex illa alia, quam quae fluunt inde, deducant. In partem illam discessit FRANC. DVARENVS ^{o)},

A 3

cui

1) L. vlt. C. de inoffic. test.

^{m)} VLPIANVS L. 2. π. ad SCrum Macedon.

ⁿ⁾ AYRER Opusc. minor, var. argum. Syloge noua pag. 128.

^{o)} DVARENVS Comm. ad π. Lib. XV. Tit. I. pag. m. 978.

6 DE SVMTIBVS STVDIORVM AD PECVLIVM

cui illud tantum est, *quod patrocinio suo aduocati sibi adquirunt, vel quod presbyteri in clericatus ordine sibi adquirunt.* Suntne vero aduocati et presbyteri vnicē quasi milites? aut obtinetne etiam in aliis toga? Adi solum Imp. IVSTINIA-
NVM cit. loc., qui et alios peculum quasi castrense haben-
tes praeter aduocatos et presbyteros docebit.

II.

Quid agant asseclae alterius partis paucis videndum
est. Prouocabo tantum, omnes enim, siue sint duces il-
lorum siue sequaces, adducere instituti ratio prohibet, ad
IOAN. ORTW. WESTENBERGIVM p) et IOAN. GOTTL.
HEINECCIVM q) qui quasi castrense describunt, *quod filius-
familias occasione militiae togatae adquirit.* Colligo inde,
iura ex hoc peculio nostro proficiscentia cum illis, quae ratio-
ne castrensis, profectitii aut alias cuiuscunque speciei com-
petunt, vel conglutinanda esse, quod sierinequit, vel nulla
inde derivari posse, quod pariter saluis Legibus affirmari
non potest. Ex his, quae in rem meam aequē ac ad al-
teram dici oportebat, intelligi potest satis, quaenam descri-
ptio ex prolatis certi quid contineat et mereatur suffiragium.
Haec igitur sufficient de notione peculii quasi castrensis cau-
sam principalem suo loco demonstrante.

C A P V T IIII.

I.

Sequitur iam caput princeps, in quo sententiae meae ra-
tiones, quotquot earum inuenire atque colligere mihi
licuit, latius exponam. Sed necesse esse videtur, ut ante
omnia distinctio quadam praemittatur, tamquam fun-
damentum, quo totum superstruitur aedificium. Sci-
licet

p) WESTENBERG J. Lib. II. Tr. IX. §. 8.

q) HEINECCIVS J. §. CCCCLXXV.

licet pecunia in sensu latissimo sumta, sine qua peculium nullum esse potest, vel consumpta iam est, vel non, sive extat adhuc. Si prius, deficiente nimirum pecunia, et deficit ipsum peculium, quippe nihil adest, de quo filius disponere possit, quando v. c. donare, vel emere, vel permutare, vel alium contractum inire velit. Tota enim vniuersitas abest; deficiunt res, ut partes, quae non possunt, quin essentiam vniuersitatis constituant; nec ius adest, quod non nisi ipsa re peculiari existente cogitur. Eo itaque casu peculii, tamquam rei non existentis, nec proprietas nec vſusfructus intelligitur. Quale autem, quaeſo, quasi caſtrene peculium, quod neque proprietatem, neque vſumfructum cuiquam tribuit? Largior equidem, quod ingenio proprietas, qua quis tunc, vbi res exiſtebat, gauſus est, vna cum vſusfructu queat excogitari: ſed si ita philofopharis, methodo facillima demonstrabo, te ditillimum eſſe, quamuis ne obulum quidem poſſideas, dummodo olim diues fuisti. Sane multo firmior mea eſt opinio, quā e dictamine ſanae rationis, *non entis nullas eſſe adfectiones* adfirmo.

II.

Quodſi vero nihil pecuniae ad peculium plane neceſſariae erogatum fit, ſed extet adhuc, eſtne peculium? et ſunt ne ergo ſumtuſtudiorum, ſi nondum conſumti ſint, idem? Nego constantiſſime. In confeſſionibus enim ſue dationibus, quacunque fingas, diuſicandis, probe finis, cuius cauſa alicui quidquam traditur, ut reſpiciatur, neceſſe eſt omnino. Proſecto cuiuſis, cui mens eſt alteri aliiquid dare, integrum eſſe inficias ire nequis, cur et ad quem finem dare velit. Nonne autem, ſtatim deprehendis, patrem impenſas ſtudiorum non idcirco, ut filius peculio

gau-

8 DE SUMTIBVS STVDIORVM AD PECVLIVM

gaudeat, sed vt studia prosequatur, erogare? Quid si tamen non negem solum et pernegem, id conueniens esse naturae et effectui peculi quasi castrensis? Sed adhuc adiiciam **VLPIANUM r).** Ait **JCTUS LIBRO QUADRAGESIMO QUARTO AD SABINUM:** *Caeterum qui habent castrense peculium vel quasi castrense, in ea conditione sunt, ut donare et mortis causa, et non mortis causa possint, cum testamenti factionem habeant.* Nisi me omnia fallunt, mens JCti nostri haec est, nempe, vt dispositio de peculio quasi castrensi non restricta sit, sed libera, quum et actu inter viuos et mortis causa competit filiofamilias quasi militi donatio. An vero putas, hoc arbitrium, obtinere in sumtibus studiorum? Aut arbitraris, patrem filio studiorum causa ideo, vt quocunque modo illas donet, aut de iis pro lubitu disponat, impensas facere? Breui; Pater erogat, vt studia prosequatur filius: et studia sunt finis ergandi. Taceo, quod publicae utilitatis causa sumtus studiorum suppeditentur; vnde satis etiam elucescit, filium ob id, quod publice interest, liberam de pecunia, studiorum causa accepta, dispositionem habere non posse. Sed pluribus probabo restrictionem disponendi, idque via duplice aut triplici.

III.

Arbitrium, quod vt iam dixi, in libera de peculio quasi castrensi dispositione se exerit, ita Leges terminarunt vt obtinere ne quidem posit in sumtibus studiorum. Cuius rei probatio mihi iam incumbit. At quis magis dilucidabit totam rem, quam **VLPIANUS LIBRO QUADRAGESIMO AD EDICTUM?** Ait **s): Confertur autem, etiam si minus**

r) VLPIANVS L. 7. §. fin. π. de donatione.

s) VLPIANVS L. 7. §. 23. π. de collatione.

QVASI CASTRENSE NON PERTINENTIBVS. 9

minus esset: sed hoc sic adcipiendum est, vt hoc demum conferatur, quod eius esse desit dolo malo. Caeterum si id egit, ne adquireret: non venit in collationem, nam hic et sibi insidiatus est. Tantum non omnes iuris interpretes, qui collationem disputant, caput hoc VLPIANI sic, vt filiosfamilias, si sumtus ab ipsis male expensi fuerint, conferre oportet, intelligendum coniiciunt. Sed periculum et nosmet ipsis faciamus. Verba, sed hoc sic adcipiendum est, vt hoc demum conferatur, quod eius esse desit dolo malo, nullum alium habere possunt sensum quam eiusmodi, modo per te mihi licet legem de re mea intelligere. Nimirum, si sumtus studiorum filiosfamilias esse desierint dolo malo, aut, quod ad eos idem recurrat, si perdiderit filius, conferre obstrictus est. Adde ad pleniores cognitiones, quod PAULUS 2) LIBRO QUADRAGESIMO AD EDICTUM docuit his: et plerique putant ea, quae sine dolo et culpa perierint, ad collationis onus non pertinere: et paucis interiectis: vir autem bonus non sit arbitraturus conferendum id, quod nec habet, nec dolo, nec culpa desit habere. Non obstat, quod neque PAULUS, neque VLPIANVS adduxerit impendia studiorum. Certe his etiam tacentibus principium, impensas studiorum causa factas non conferri debere, est certissimum, et allegatis effatis continetur, quamquam verbis disertis non est expressum. Namque si laudati ICtri casus omnes dabiles, quotquot ea in re contingere ac hoc pertinere possumunt, verbis exprimere voluissent, et charta defecisset, et ingenii forsitan defuisse vires, quia nemo mortalium omnia prauidere solet. Quum vero in textibus prolatis sermo generatim sit de iis, quae filiosfamilias a patre adcepit, atque haec

2) PAVLVS L. 2. §. 2. π. eod.

B

haec, si dolo malo perierint, conferenda esse, statuatur; dubitandum non est, quin illud etiam de sumtibus studiorum, quos pater filio dedit, intelligendum sit, quippe qui aequo dolo filii consumi possunt. Male igitur consumti studiorum sumtus ad collationis onus ex iuris necessitate pertinent. Facit etiam fauor studiorum, vt sumtus isti idcirco erogati eo privilegio, ne in commune conferantur, gaudent, quod non potest quin corrueat, si studia ipsa, quorum causa indulatum est, deserta, aut quod eodem reddit, si esse desierint dolo malo. Pater denique, qui filio suppeditat sumtibus, scopum, propter quem suppetit, auctupatur ita, vt filius scopum destinatum attingat. Cui adhuc adiicio, quod ex ARN. VINNIO v) defumis 10 A.N. ORTW. WESTENBERG x), quod nimirum ex iis neque decus familiae neque reipublicae adcedat. Finge igitur, filiumfamilias dolo malo aut culpa perdere sumtus, illosque v. c. impendere libidinibus. Estne id ex sententia patris? Suntne expensi ad finem propositum impetrandum? Versaturne in in eo cardo et fauor studiorum? Meditaberis ipse: ego vero solum adhuc superdico, quod et id adfirment, qui alias contrario vt glebae sunt adscripti, vt adeo valeat illud aliud flans, aliud sedens. Eluet itaque ex his, quod dispositio de sumtibus studiorum non libera sit sicuti in peculio, cui illos accensent, sed restricta penitus, quoniam conferri oportet, quod non obtinet in peculio quasi castrensi, siue perierit dolo malo et culpa, siue casu.

III.

Haec hactenus de impensis nostris a filio male consumtis. Iam videamus casum alium cumque ab illo plane diuer-

v) VINNIUS de Collation. cap. XIII,

x) WESTENBERG de causis obligationum, Differ. VIII. Cap. 1.
§. 10. n. 4.

QVASI CASTRENSE NON PERTINENTIBVS II

diuersum. Eiusmodi est quaestio: vtrum filius familias has-
ce impensas, quas optime collocauit, et postquam omnem
animi intentionem adhibuit litteris, conferre cogatur? Et
si quid vñquam, hoc certe potissimum adfirmari meretur,
tunc videlicet, quando pater collationem fieri voluit, vti
est apud ICTum iterum iterumque laudatum, VLPIANVM y)
LIBRO SEXTO OPINIONVM. Ait enim: *Quae pater fi-
lio emancipato studiorum causa peregre agenti subministra-
uit, si non credendi animo pater misse fuerit comprobatus,
sed pietate debita ductus in rationem portionis, quae ex de-
functi bonis ad eundem filium pertinuit, computari aequitas
non patitur.* Quam legem sive adcipias de praesumtione,
quod pater sumtus subministraverit studiorum causa animo
credendi, quam explicationem ANDR. ALCIATVS z) et
DION. GOTHOFREDVS a) probarunt, sive quod pietate de-
bita ductus suppeditaverit, partim mihi perinde est, par-
tim facile mihi dabis, quod ex ea oppido patescat, patrem
filio collationis Legem scribendi iure ac potestate gaudere.
Non nocet, quod in Lege tantum de filio emancipato sit
sermo: Si enim huic pater collationem imponere potest,
quanto magis id poterit ei, quem adhuc in potestate habet,
qui magis omnino a paterno pendet arbitrio. Quid vero
inde? Potestatem de sumtibus nostris disponendi coangu-
starunt leges; et plenum ius, quod intuitu quasi castrensis
peculii competit, hic deficit. Non igitur potest non cor-
ruere ipsum peculium, quippe quod absque liberrima dispo-
nendi facultate ne fangi quidem potest. Neque ergo filius
in his, quae a patre studiorum causa adcepit, mortis causa,
neque inter viuos donandi facultatem, neque testamenti,

B 2

quod

y) VLPIANVS L. 50. n. famil. ercif.

z) ALCIATVS Lib. 1. Praefam. VII.

a) GOTHOFREDVS not. ad L. 17. C. de collat. lit. a.

quod statim pluribus probabo, habebit factionem, quum pater de iis in antecellum iamiam disposuerit, atque ut accepta tantum studiorum causa impenderentur, declarauerit. Omitto, quod ipsi dissentientes dicunt, quando exceptiones a regula iam adlata excitant, quodque sententiam meam egregie iuuat. *Legitima, inquiunt, portio nisi ceteris liberis sit salua, sumtu in studia factos subiacere oneri collationis: at falcem meam non immitto in alienam messem.* Velle in primis argumentorum esse conscius, quae WENNEMAR. REDECKER VS^{b)} collationem sumtuum studiorum disputando in rem suam confarcinauit, forsitan et hic iam dixit, quae in rem meam sunt, et recensere hic loci me oportebat, an recte? dispunges.

V.

Succedat contra sentientium argumentum speciale quoddam dispositionem mortis causa adtingens. Arbitrantur scilicet nec sine omni ratione, testamenta a studiosis condita non valere, nisi testatores postea facti fuerint quasi milites, quoniam omnis dispositio studiosi de peculio quasi castrensi tamdiu, quamdiu adhuc studiorum cursus duret, non solum in suspenso est, verum etiam eiusque validitas ab inseguente quasi militia tamquam vitae genere fixo dependet. Idque a vero eo minus alienum est, quanto magis in aprico positum esse perspicimus, eum, qui in Academiis adhuc versatur, ad litterarum studia incumbenter, mentem suam et semetipsum ad vitam futuram adhuc preparare, ipsum autem certo nondum scire, quo tandem fata eum sint tractura. Tantum enim abest, vt omnes studiosi in eodem, quem ingressi sunt, statu permaneant, atque studiis suis, quae tractarunt, reipublicae consulant, vt potius non

^{raro}
b) REDECKER, *disputa de collatione sumtuum studiorum*, *Lugd. Bat.* 1700
rec. Hul. 1738.

raro nonnulli vere castra sequantur, nonnulli mercaturam exerceant, nonnulli denique alia agant. Cuicunque igitur peculium quasi castrense est, iure fruitur et facultate rem disponendi, quomodo et quando velit: testamentum condit iure validum atque quasi miles est. Hinc validitas testamenti non pendere potest ab inseguente militia, quippe quae, nisi iam adest, facit, ut totum peculium deficiat. His iactis, si conclusionem velis, facies ipse contra pulueris iactum, me non dissentiente nec invito.

VI.

Aliam, quae hoc spectat vel maxime, rationem excusavit et fatis abundeque probauit EXCELL. IOAN. TOBE RICHTERVS ^{c)} PRAESES meus grauissimus, dum docet reftissime, quod *in rem patris versa merito dicenda sit pecunia, quae filio, etiam inuitio patre, ad litterarum studia prosequenda ab alio quodam subministrata est.* Quae id probant luculentissime, argumenta non transpono: addo tamen adhuc VULPIANVM ^{d)} LIBRO SECUNDO DE OFFICIO CONSULIS, vbi ita: *Non tantum alimenta, verum etiam caetera quoque onera liberorum, patrem ab iudice cogi praebere, rescriptis continetur.* Vocabul alimenta stricte summis ICtus noster, et particulas, caetera quoque onera liberorum, iure optimo ad suuntus studiorum referendas esse arbitrarer. Cum VULPIANO nostraque explicatione conspirant amicissime IULIANVS ^{e)} et IAVOLENVS ^{f)} quorum vterque voce alimentorum ea inclusit, quae ad disciplinam pertinent, modo recedas a nudo testamento, et iura sanguinis spectes, vt rectissime EX IAVOLENI sententia collegit DION. GOTHOFRE-

B 3

DVS

^{c)} RICHTER Select. Jur. Princ. Disp. XXI. §. vlt.

^{d)} VULPIANVS L. 5. §. 12. π. de agnosc. et alend. liber.

^{e)} IULIANVS L. 4. π. vbi pupill. educar.

^{f)} IAVOLENVS L. 6. π. de alimens.

dvsq). Breui: studia pertinent ad disciplinam, quam vox alimentorum sub se comprehendit: alimenta patris incumbunt oneribus, atque adeo pecunia studiorum: hinc et illam patrem ab iudice cogi praebere, rescriptis continetur. At enim vero quum DN. PRAESES meus optimus partim, partim IOSEPH. ANT. PILAIA in Additionibus ad IOAN. HIERON. DE IRANCO^{b)} hoc egerint, et potissimum vel idcirco PILAIA noster agmina Legum et ICtorum conglomerarit: in alienas quare excurram prouincias, illarumque fines perrumpam? Sufficit, quod pater filio studiorum causa sumitus praebere a iudice cogatur, quae obligatio peculii castrensis aut quasi castrensis ergo patri imponi nequit.

VII.

VLPIANVS, qui saepissime in hac pugna nobis praefectus fuit, rursus non leuioris, quam antea, momenti argumentum suppeditat, arnaque subministrat satis robusta et profecto invicta. Ait, ⁱ⁾ quod iam supra enarrauimus: *Quae pater filio emancipato studiorum causa peregre agenti subministravit, si non credendi animo pater misse fuerit comprobatus, et quae sunt reliqua.* Praeter illud igitur, quo iam vñsumus ex iisdem Legis verbis, nouum nobis occurrit argumentum. Docet Lex, quod pater filio suo credere interdum sumitus studiorum possit, quo facto necesse omnino est, ut filius illos patri rursus solvat, vtque in illum redundant debitoris obligationes. Quod si verum est, quem ad modum est penitus, filius de suo impensis studiorum causa erogat, idque facit vel de peculio quodam, si adhuc paternae sit subiectus potestati, vel de patrimonio, si, vti e significatu verborum Legis naturali profluit, emancipatus. Iam vero, siue hoc siue illud supponas, perinde est; casus vterque

aes

^{g)} GOTHOFREDVS not. ad L. 6. ead. lit. n.^{b)} DE IRANCO de Prostitutionibus ad Corfid. XXIII. n. n.ⁱ⁾ VLPIANVS L.50. n. famili. excise.

æs alienum continet; et sic vtrimeque de corio filii iuditur. Vtrum autem æs alienum cum peculio castrensi, aut quasi, alia-
ue specie, cohaerat? dispunges me tacente. Evidem id neu-
tiquam adfirmandum putarem. Quod enim filius hoc loco
mutuo adipicit, id re uera non adquiritur, siquidem debitor eo
non sit locupletior, sed tantum aliquando ex bonis suis redde-
re tenetur. Hinc idem non potest nouam et singularem bo-
norum speciem, adeoque nec peculium quasi castrense consti-
tuere. Sed si in rem filii peculiarem creditum fuerit, magis e
peculio aliquid expenditur, quam eidem adquiritur: si vero
in patrimonium, adeoque filio emancipato, creditum fuerit,
debitor ne quidem peculium, indeque nec quasi castrense pe-
culium habere potest. Quodsi denique soli filii fidei credi-
tum, id, quod datum est, ideo peculium quasi castrense censeri
nequit, quia de eo, quod debet, libere disponere non licet
debitori.

VIII.

Posita haec si ad Lydium lapidem exigamus, non amplius
est quaestionis difficilis aut diabolicae, quid videlicet dicen-
dum, si pater non qua talis, sed ut administrator honorum filii
sui impensas fecerit? Responso est facilima; hinc ego ne
verbulum quidem addo, sed, si fortassis tibi aqua nihilo minus
haeret, ablego te tantum ad PAVLVM k), cuius effatum satis
euincit, parentem, qui negotium filii gerit, ea, quae filio dedit,
ex re filii impendit, quamprimum haec rationibus impensa-
rum intulisse administratorem, adparet. Quam sententiam
haud obscure confirmat SCAEVOLA l), cuius nec verba exhibe-
am, nec mentem multis exponam, quum sensus Legis cuius
lectori textum obiter tantum introspicienti perspicuus abun-
de pateat. Altioris tamen indaginis est haec: vtrum pater

po-

k) PAVLVS L. 34. π. de negor. geft.

l) SCAEVOLA L. 58. π. de heredit. perit.

potius vt administrator, an vt pater impensas fecisse praesumatur? Tantum abest, vt ICti in hac re in vnum congruant inter se, vt potius secumpugnent acriter ita, vt, quod illi displicet, huic omnino arrideat: et sic volunt facta Iurisprudentiae. Sed vero tota haec res, quanta est, non quadrat ad rhombum: quid igitur ad nos? Maneat intacta! Siue enim sumtus studiorum e re filii, siue e re patris factos esse euincas, neutro tamen casu quasi castrense peculum expiscaberis.

VIII.

Praetermittamus quoque rationem, vi cuius PHIL.
KNIPSCHILD^{m)} sumtus nostros tanti esse iudicat momenti, vt, illorum ergo fideicommissa familiae alienationi vel mutationi esse obnoxia, adfirmate dicat. Nec iniuria, nec methodo difficult rem meam hac doctrina, si iure inniteretur certissimo, defendere: at dubitauit hucusque, et adhuc dubito de veritate.

C A P V T V.

I.

Qquamuis ad liquidum, arbitror, atque confessum rem meam perduxerim: ex ipsis tamen disputationis supra institutae visceribus dubia oriuntur, quae illustratione adhuc indigent atque explicatione. Primum dubium suppeditat VLPIANVS LIBRO QVADRAGESIMO AD EDICTYMⁿ⁾ et LIBROSEXTO OPINIONVM^{o)}, et quae capite superiori decollatione contexui, mecum vi coniuncta videntur pugnare. Constat satis abundeque inter omnes, et testatur id iam laudatus VLPIANVS peculum quasi castrense pariter

fer-

^{m)} KNIPSCHILD de fideicommiss. famil. cap. XI. n. 427.ⁿ⁾ VLPIANVS L. 1. §. 15. π. de collat. bonor.^{o)} VLPIANVS L. 50. π. famil. erifī.

ac studiorum sumtus eius esse iuris, ne in commune conferantur. Hoc itaque priuilegio iure indulto, nonnulli suffulti, a collatione filum argumentandi ducentes, ita insurgunt: Quaecunque bona profectitia, non conferenda, sunt peculia vel castrense vel quasi; atqui sumtus, in studia a parentibus facti, sunt bona profectitia, nec tamen conferenda in commune; ergo. Mirum profecto caput, quod inuestigemus! Quid vero si negem propositionem maiorem? Exceptiones enim a regula, quas supra iam locauit, quasque ILL. GOTTFR. MASCOVIVS p) aliis adhuc iisque grauissimis probauit documentis, obtinent vnicę in collatione sumtum studiorum, non in peculio nostro quasi castrensi. Rationum igitur vel maximi momenti diuersitas inter vrumque se exserit, et vt se exserat oportet, quum species patiatur deliquium. Hic loci ergo Logica, eiusque regula hucusque et per transennam semper salva visa, quidquid generi inest, etiam singulis inesse speciebus exulat. Ut paucis denique dicam: a priuilegio ad priuilegium non valet conclusio, alias, si hoc iure vti possem, ex peculio relicto facilime facerem castrense. Adcedit, quod res e donatione patris, attamen post mortem patris adquisita, ex constitutione IMPERATORVM DIOCLETIANI ET MAXIMIANI q) conferrinon debeat. Eiusmodi resprofecta est a patre, nec in commune conferenda; neque tamen ullam reprehendo rationem, qua rem istam peculio quasi castrensi adcenceamus, potius alia omnia in partem contrariam adducenda, vel ex ipso casu proposito adparent. Anne credis, id, quod a patre profectum et post huius mortem, adeoque patria potestate dissoluta adquisitum,

pecu-

p) MASCOV. *disp. de collatione bonorum §. IV.* Lips. 1742.q) IMP. DIOCLETIAN. ET MAXIMIAN. L. 13. C. de
collationib.

peculium esse posse? Ut salua semper sit analogia iuris,
opus esse memento. Qualis ergo tua est concludendi ra-
tio? titubans profecto atque manca.

II.

Sequitur aliud dubium a dispositione ortum. No-
lim equidem negare, studiosum iure disponendi vti-
an vero ex animi sui sententia et sicuti quasi miles vtitur,
est alia quaestio, vbi mihi quidem perplacet abnuntium.
E supra enim disputationis videri potest, dispositionem intuitu
quasi militaris peculii concessam exulare sic, ne studiosi il-
la fruantur. Cum libero itaque arbitrio non ius congluti-
nandum est restrictum. Disponat studens, et disponat
quasi miles: attamen quisque suo iure!

III.

Concilianda iam est cum nostra opinione illorum sen-
tentia, qui eodem modo, quo donatio filio militi a patre
facta valet, studioso factam non posse non valere conten-
dunt. Fateor equidem, eam sententiam in se quidquam
habere, quod grauer nobis aduersari videtur: at eremo-
dicum ideo contrahendum non duco optima spe fretus,
fore, vt vtraque sententia stare salua possit, dummodo al-
terutra suis limitibus sit coarctata. Largior ambabus, do-
nationem inter patrem et filium validam non esse, nisi filius
aut vere pater familias sit, aut minimum pro tali habeatur,
et largior, hanc esse regulam iure firmissimam. Causam
vero, cuius ratione filius pro patre familias habetur, nul-
lam aliam, quam peculium castrense vel quasi, esse non
minus largior. Sed enim vero, re penitus penitata de-
prehendo, id, quod pater filio studioſo donauit, pecu-
lium quasi castrense necessario non constituere. Si enim
hoc casu filio studiorum causa donatum est, fauor reipu-
blicae efficit, ne id aliter, quam ad studia prosequenda im-

pen-

pendatur, et tunc ut donatarius id iuris, quod alias in quasi castrense peculum competit, habeat. Si vero in genere, nulla studiorum habita ratione a patre donatum est, res donata collationis ad necessitatem pertinet, nisi ea post mortem patris demum filio vere adquisita, vti IMPERATORES DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS ^{r)} edixerunt, aut sui iuris effecto a patre haud sit ademta, sicut non solum IDEM IMPERATORES ^{s)} sed etiam IMP. IVSTINIANVS ^{t)} constituerunt. Non itaque usque quaque veritati respondet quod statuunt, donationem a patre filio studioso pariter atque filio militi factam valere. Valet quidem, sed tantum limitate: atque adeo multo minus dici adfirmare potest, rem filio familias studioso a patre donatam ad peculii quasi castrensis speciem pertinere.

C A P V T VI.

I.

Fato, nescio fane, quo Leges quaedam huc rapiantur et contra meam sententiam producantur: totus tamen in eo sum, ut sciam, quid moliantur et quam crism exerceant sententiae meae aduersantes, vel, ut sibi persuadent nimis, Legum auctoritate, vel rationibus aliunde petitis circumdati. Sed frustra sic, nisi et mihi adsentiar nimis, nimiaque laborem stupiditate. B. IOAN. GOTTL. HEINECCIVS ^{u)}, acutus quidem alias omnino sed et secum pugnans acriter nec vno loco, demonstrare adlaborat, quod dicit, breui, et putat forsitan, demonstratione maiori opus esse minime gentium. Prouocauit enim ad IMPERATORIS IVSTINIANI ^{v)} constitutionem, qua quaedam de quasi

C 2 castren-

^{r)} IMP. DIOCLET. ET MAXIMIAN. cit. L. 13. C. de collat.

^{s)} IDEM L. 17. C. de donationib.

^{t)} IMP. IVSTINIAN. L. 20. §. 1. C. de collationib.

^{u)} HEINECCIVS ad I. §. CCCCLXXV.

^{v)} IMP. IVSTINIAN. L. ult. pr. §. 1. C. de inoffic. testam.

castrensi peculio continentur; et inter alia quaestio: an omnes, qui quasi castrense peculium habent, in hoc condere possint testamenta? exhibetur, deciditur. Quo loco potissimum refertur, dubitatum fuisse, num praeter milites et veteranos, testari permisum fuerit aliis personis, quae non per speciale priuilegium hoc adceperant: *virputa viris discretissimis patronis causarum, virisque deuotissimis Memorialibus et Agentibus in rebus, nec non Magistris studiorum liberalium, Archiaris quoque, et aliis omnibus omnino, qui salario vel stipendia percipiunt publica.* Tandem his omnibus de quasi castrensi eorum peculio, secundum Leges tamen, vltima condendi elogia facultas ab IMPERATORE conceditur. Quoniam itaque magistri studiorum liberalium quasi castrense peculium habere, atque de eo testari possunt, crediderunt nonnulli, studiosos nostros et liberalium artium magistros, intuitu sumtuum studiorum, eiusdem plane esse conditionis. Ego vero, et Virum sagacissimum et, qui cum illo eidem viae insistunt, nubem esse amplexos pro Iunone arbitrarer. Magistrorum enim, de quibus IMPERATOR loquitur, munus fuit publicum, ipsique in aliqua constituti fuerunt dignitate, aut minimum quasi militibus sunt adscripti, vt non solum ex ipsis IMPERATORIS verbis adparet, verum etiam DION. GOTHOFREDVS ^{x)} et BARN. BRISSONIUS ^{y)} exemplis demonstratum dederunt. Iam dicas velim, virtutum cana nostris conueniant temporibus, quorum vi magister studiorum liberalium interdum, et dixerim ferme, plerumque est, qui causam suam priuatam agit, non publicam. E conuenientia igitur soni orta est fabula. Quam pura ab his ad illos concludendi vis, scilicet! Consuetudines potestate pollut magna, cui tamen opponi datur. Verum pone etiam, magistros olim et hodie secum cohaerere, sibique inuicem respondere ex affe,

^{x)} GOTHOFREDVS nor. ad L. 57. ^{x.} de V. S. lit. l.

^{y)} BRISSONIUS de V. S. voc. magister.

asse, nonostrosque illorum indolem habere. An tibi persuades, eiusmodi magistros adhuc in litterarum studia impensas erogare posse? Num itaque putas, inde hos sumtus, quibus quis forte adhuc indiget, peculium quasi castrense effecturos esse? Ego vero eiusmodi peculium ex illis, quum a patre vel qua administratore bonorum filii, vel credendi animo, vel nomine educationis impendantur, perperam factum atque adeo nullum omnino reor, suffitius rationibus, quas supra iam z) in rem meam recensui. Quodsi tamen auctoritate potius ANT. SCHVLTINGII a) certainem inire velis: per me licet, quum et IMPERATOR IVSTINIANVS b) verbis: *et aliis omnibus omnino, qui salario vel stipendia percipiunt publica, id probare expressum videatur.* Vbi igitur ratio haec deficit, ibi ut incassum pariter abeat effectus, necesse est.

II.

IMP. autem ALEXANDER c) omnem spem meam videtur conquasare. Edixit enim LLator: *Peculio autem castrensi cedunt res mobiles, quae EVNTI IN MILITIAM a patre vel a matre, aliusque propinquis vel amicis donatae sunt.* Dissidentes ad unum omnes in verbis *eunti in militiam* et consensum querunt et firmissimum praesidium. Sed nae dici vix, ac ne vix quidem, potest, quam longe isti a via veritatis adhuc sint remoti. Iam videamus, quo filo Ariadnaeo labyrinthum euadere possimus? Primo radicitus has *eunti in militiam* particulas effodere possem, si sequi aliquis et chirurgica manu uti vellem, quoniam procul dubio a TRIBONIANO interpolata sunt, ut MACER d) e cuius LIBRO SECUNDO DE RE MILITARI Lex nostra transumpta videatur, luculenter satis ostendit, dum pro *eunti in militiam* locauit

C 3

in

z) b. diffi. Cap. IV. §. VI. VII. VIII.

a) SCVLTING Ipd. Anteifl. ad Caii I. Lib. II. Tit. II. §. 1. n. 16.

b) IMP. IVSTINIAN. L. vlt. pr. C. de inoffic. reglam.

c) IMP. ALEXANDER L. i. C. de castr. pecul. milit.

d) MACER L. n. n. de castr. pecul.

in militia agenti. Sed absit, vt TRIBONIANVM conuiciis praescindamus! Potius alia eaque iustior exigenda est crisis, potissimum quum nonnunquam oculis oberrat, quod suo loco obiter quidem, rotunde tamen penitus adnotauit JCTVS EXCELL. IOAN. GOTF. SAMMET e): Agnosco, inquit, etiam, latere interdum Tribonianum, et si latuit saepiuscule, excusetur nihilominus: sane hic mandato sui Principis *en' avtoΦέω* deprehenditur. Idigitur non virgo. Sermo est in Lege nostra de eunte *in militiam*, id est, qui in procinctu stat, non de aliquando ituro. Differentia inter vtrumque intercedens in vado est et quam maxime obseruanda, siquidem posterius solum in studiosis, qui qua tales in procinctu stare ne videtur quidem, locum sibi vindicare est in propatulo. Rationes adeo a milite destinatione tali instruclae, non quadrant ad musarum delubra colentes, nec praesens in futuri locum est sublegatum, quia et alias impubes, dum destinatione fortassis miles est, eiusmodi peculio frueretur. Tantum abest, vt principium ob priuilegia indulxum: *quae in fauorem alicuius data sunt, quam plenissime esse intelligenda*, nobis hic loci obstaculo sit, potius ut nihil in mora habeat, quo minus sententiae hucusque defensae inhaeream. Quamuis enim ita beneficia, quae a diuina principis indulgentia profecta sunt, quam plenissime interpretetur, quemadmodum IAVOLENVS f) expressim effatus est, plus tamen, quam quod iis concessum, inde deriuare non possumus. Hinc etiam est, quod IMPERATOR IVSTINIANVS g) constituit: *Personales constitutiones nec ad exemplum trahuntur, quoniam non hoc princeps vult.* Nam quod alicui ob meritum indulxit, vel si quam poenam irrogauit, vel si cui sine exemplo subuenit, personam non transgreditur. Quodsi ergo id, quod veris vel quasi militibus actu talibus indulxum est, aliis, qui forte milites futuri sunt, tribueremus, contra manifestam

e) SAMMET disp. de legaris poenae nomine, cap. V. pag. 18. Lips. 1748;

f) IAVOLENVS L. 3. π. de constitut. princip.

g) IMP. IVSTINIAN. §. 6. Τ. de Τ. N. G. et C.

principis ageremus voluntatem. De futuris nihil certi. Inde igitur, quod deduci nequit, deriuandi potestas iusque nobis non competit, adeoque nec facultas tempus *praesens* in futurum admodandandi. Sed enim vero, ut liberalis sim plane, concedam, voculas *cunti in militiam et praesens et futurum* simul in se continere, sicuti nonnullos ea in opinione deprehendo. Quamuis istud, inquam, aduersantibus meis conceferim: illorum tamen res ne sic quidem beata erit, ut capite subsequenti demonstratum ibo.

C A P V T VII.

I.

Iam adequare matureque peruestigemus rationes, quibus ut spongiae incumbunt alter censemtes. Omnia grauissimus mihi omnino erit aduersarius, qui b. IVST. HENNING. BOEHMER h) doctrinam et toto, quam late patet, Corpore Iuris eruat, satisque validis ostendat documentis. Ait enim Vir, dum viueret, incomparabilis: *Vnde et sumptus in studia, a patre filio animo donandi subministrati, eodem modo sunt peculii quasi castrensis, quo illa peculii castrensis sunt, quae dantur vel relinquuntur ad instruendam militiam, modo virroque casu eventius sequatur, nec filius militiam aut cursum studiorum derelinquat.* Ut probet, quod dixit, ad VLPIANVM i) LIBRO OCTAVO AD LEGEM IULIAM ET PAPPIAM aequae et ad MACRVM k) LIBRO SECUNDО DE RE MILITARI provocauit: at parum recte vtrumque in subsidium suae sententiae vocasse mihi haec tenus visus est. MACER enim, quod videbis, si volupe est, sed iam oportet illum perlegere et methodo quidem diligenti, de veris militibus et, si Legem ad caput nostrum trahere gestias, de quasi militibus, qui iamiam in tabulis sunt

con-

b) BOEHMER *Introd. in Jus π. Lib. XV. Tit. 1. §. 7.*

i) VLPIANVS L. 3. π. de castr. pecul.

k) MACER L. 11. π. cod.

consignati, est loquutus: VLPIANVS autem sententiam BOEH-
MERO e diametro oppositam propugnat. Inquit enim ICTus:
*Si mulier filio viri militi, ad castrenses vel militares forte res
comparandas, reliquerit pecuniam, utique castrensi peculio
ea, quae comparantur, ad numerari incipivnt. Neque vol-
lam, quod primum notandum duco, neque vestigium, in hisce
particulis de milite destinatione tali deprehendo. Id vnic
tamen hoc loco non agam, sed vrgebo potius, ex Lege non ad-
parere, quod, quae dantur vel relinquuntur, vt cum BOEHMERO
loquar, ad instruendam militiam, seu vt ICTus dixit, ad ca-
strenses vel militares forte res comparandas, castrensi peculio
adnumerari incipient. Pecunia igitur sive sumitus aq[ue] res com-
parandas militares facti, non peculii sunt castrensis, sed res, pe-
cunia illa sumbrisue hanc ob causam erogatis comparandaes,
seu iam comparatae, efficiunt istiusmodi peculium. Quae quum
ita sint: impensae studiorum, quippe ad instruendam dantur
vel relinquuntur quasi militiam, peculii quasi militaris esse ne-
queunt, quum verba Legis: ea, quae comparantur, castrensi pe-
culio adnumerari, id ostendant, neque aliam facile admittant
explicationem.*

Ex omnibus, quae in hoc qualicunque Academico speci-
mine pertexui, oppido patet, me non sine iure, nisi mihi adsen-
tior, sumitus studiorum ad peculium quasi castrense non per-
tinere, adfirmasse. Satis mihi erit intelligenti, conamen me-
um, quod rationibus probare studui, opinor, idoneis, Tibi, B.
L. non penitus displicere: ambitiose enim nequaquam quae-
rio suffragia.

T A N T V M .



CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO
RESPONDENTI
S.
PRAESES.

Quam mibi haud ita pridem obtulisti, proprio
marte ac erudite conscriptam dissertationem
TVAM de SVMTIBVS STU-
DIORVM AD PECVLIVM QVA-
SI CASTRENSE NON PERTI-
NENTIBVS, TIBI nunc redbo. Legi eam,
quod postulabas, atque relegi, et vix voculam TVIS me-
ditationibus apponendam duxi, quia ipse, ut perspexi,
rei TVAE sufficisti, eamque solide non minus quam
eleganter consecisti. Evidem inueni quaedam, quibus
haud penitus adstipulor, quaeue mea sententia paulo
aliter proferenda et statuenda essent; verum neque haec
delenda aut mutanda putau, ne meditationum fieret
mixtura, vel ingenio TWO fines ponerentur, quinimo
ne defensionibus TVIS, quas in rem TVAM TIBI

D

compa-



comparasti, priuareris. Id vero inficiari non possum, quod pleraque a TE dicta, et meo, et quod opinor, omnium calculo digna sint. Neque id silentio praeterire possum, quod istam iuris materiam, quam enucleandam TIBI sumfisi, ex veris ac genuinis principiis explicaueris, totoque hoc specimenne omnino abunde ostenderis, quantum res publica vilitatis ab industria TVA expectare, sibique de TE ciue futuro policeri queat. Praesidium meum, quod TIBI expetifsi, non denego; adero tamen magis, virtutis TVAE testis, quam ut auxilium, quippe quo non indiges, praestem. Tu autem perfice, quod coepisti, feliciter. Praesta TE virum in cathedra, et virtutem qua polles in disputando publice proba. Fruere tandem industriae TVAE atque virtutis fructibus, iustis praemiis; hoc enim est, quod vehementer opto. Ita et TVIS eris solatio et orname ntu. Ceterum cum breui hinc sis abiturus, et absens amicitiam TVAM mihi saluam et illibatam conserua. Vale, Dab. Lipsiae die XII. Nouembris A. C. N. MDCCLII.



ULB Halle
005 372 50X

3



K18







1752, 31.

B.I.G.

ERCITATIO ACADEMICA

DE

VMTIBVS STVDIORVM

A D

VLIVM QVASI CASTRENSE
NON PERTINENTIBVS

Q V A M

AVCTORITATE

LLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
MODERATOREIO. TOBIA RICHTERO
ET I. V. D. PROF. PVBL. COLL. MIN.
PRINC. COLL.

ONO ET PRAECEPTORE OPTIMO

AD DIEM XVI. NOVEMBR. CIOIOCCCLIL.

N AVDITORIO ICTORVM
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

SVBMITTIT

AVCTOR
RISTIANVS FRIDERICVS HERTLING

ISLEBIA-SAXO

N O T. P V B L.

LIPSIAE

X OFFICINA STOPFELIANA.